

go & effigies in plana superficie descripta. Ut ergo sponsa ostendat, quanta sit Dei Genitricis nobilitas ab Abrahamitico semine in tantam proneptim derivata, totam caeli rationem, omnes duodecim caelestium signorum imagines, in Virgine exactissime descriptas haberi autumat: totidem enim sunt Abrahamiticæ profapiae stemmata, neque alia quam duodecim signa Zodiaci. Quia verò Deipara Maria ad eam sublimata est nobilitatem, quâ nulla major, propterea quòd in suis visceribus Deum hominem genitura esset, idè ejus cingulum seu Zona (quæ ventris est ornamentum) duodecim illis signis caelestibus exornata dicitur, tametsi alias, duodecim his nobilitatis insignibus regium illius caput splendè præcingatur.

A sole justitia Christi sic præcipua Maria nobilitas.

1286 Tertio, amicta sole inspecta est magna Dei Mater. Sole, inquam, qui, quantumvis ardentissimus, non lunam, non stellas obcuret, sed eas potius reddat fulgentiores. Ecce tibi unde tota Progenitorum Deiparæ, & ipsius Deiparæ nobilitas, tanquam ex pellucido fonte dimanet, & effluat, nempe: à sole justitiæ, à corporato Deo, à Christo Jesu, æternæ lucis candore, tantorum Parentum prole: Sole enim Virginem ambiente, Christum ejus filium designari, Bernardi, & aliorum est communis existimatio. Ob hanc itaque sobolem quotquot præcessere Parentes ab Adamo, illustrissimos esse, ac nobilissimos, certum sit; uti sapienter aiebat Sanctus Bernardinus Senensis supra memoratus. Signatim de Maria dixit Sanctus Petrus Damianus in Sermone tertio de ejus natiuitate. Beata Maria licet generosa sit Patrum stirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentissimam nobilitatis genus, qui de illa est novo nascendi genere procreatus, & per clarissimam sobolem omnem humani stemmatis nobilitatem excedit. Clara proavorum tiulis, sed incomparabiliter clarior generatione prolis. Et sanctus Ildephonus in Sermone tertio de Assumptione: De propagine carnis nulla nobilior Dei Matre refulsit, nulla splendidior eâ processit, quam splendor Paternæ gloriæ divinius illustravit. Hinc est, ut quotquot Mariæ, & Christi progenitores præcesserunt, à Christo tanquam stellæ à Sole, clarâ nobilitate donentur, sed per Mariam, infinitæ cujusdam nobilitatis promptuarium. Et quidem nobilissima esset Deipara absque nobilibus Progenitoribus, ob unam dumtaxat divinam prolem: illorum autem sine Maria, nulla fuisset generis claritas, si tamen claritas, & non magis caligo & horror. Unde bellissimè Bernardus Sermone de verbis Apocalypsis: Dignum planè stellis coronari caput; quod & ipsis longè clarius micans ornet eas potius quam ornetur ab eis.

S. Petrus Damian.

S. Bernar.

SECTIO V.

Nobile Isaia vaticinium de illustrissimis Deiparæ Parentibus, Joachimo & Anna; quod probat etiam sanctam, & impollutam tantæ prolis Conceptionem.

1287 Inter electos Dei, in quibus magna æterni Verbi Mater radices misit, summum tenent locum, utpote Mariæ proximiores, Joachimus, & Anna, sanctissimi conjuges, & fortunatissimi Virginis Parentes & corporati Dei Avi, ex Regia Davidis stirpe ex-

orti: de quibus multa multi, atque de utroque conjugè multa apud Castrum in Historia ejusdem Deiparæ, capite primo, Suarium tomo secundo in tertia parte, disputatione secunda, Sectione tertia, Barradium tomo primo, libro quinto, capite trigésimo, & multos alios, quos intactos tibi relinquo. Vide superius dicta à numero 495. Illud unum hic accuratè inquiri; sine in sacris Scripturis nobile aliquod vaticinium de prælustribus Mariæ Parentibus Joachimo, & Anna, deque sancta & impolluta ipsorum prole, à qua illi sanctitate & nobilitate donentur? Meditabundus hærebam; cum ecce mihi occurrit caput Isaia sextum: ubi Deus describitur in augusto empyreæ majestatis folio, Seraphinorum servitio gloriosus, & nebularum splendidâ caligine reverendus, cujus gloria totam implevit terram, interim Seraphinis divinum illud trisagium iterantibus, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Hujus certè capitis argumentum, nihil aliud esse multi arbitrantur, quam Christi gloriam, Gentium vocationem, Judæorumque repulsam. Addo etiam, contineri eo capite satis consequenter singularem Parentum Deiparæ, & ipsius Deiparæ commendationem, ut ex dicendis clarebit, dum expendimus & illustramus postremos illius capitis vericulos undecimum, & duodecimum.

1288 Et longè faciet Dominus homines, & multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ. Et adhuc in ea decimatio, & convertetur, & erit in ostensionem, sicut terebinthus, & sicut quercus, quæ expandit ramos suos: semen sanctum erit, quod steterit in ea. Obscura sunt verba, ad quæ multa multi, quæ singulatim recensere operosum esset. Meam solum paucis aperiam intelligentiam, quæ nulli non cordato viro arrideat. In primis, pro illis, Longè faciet Dominus homines, ex Hebræo sic vertas: Prolongabit, protendat, propagabit Dominus hominem illum. Nam Hebræicè pro homines, est vox Haadam numeri singularis; & sæpè in sacra Scriptura sumitur plurale pro singulari, ut observat Riberus noster ad Zachariam capite nono, versu trigésimo septimo, Abacuc capite primo, versu quinto. Ab uno homine plures rectè intellexit Vulgatus; ab uno planè prælustri, atque insigni, ut emphatico articulo demonstratur, illum hominem; illustrem atque insignem virum longâ filiorum sobole conspicuum, quem tum nominabo, cum tam numerosæ familiæ Matrem ostendero. Et quidem eodem sensu accipienda sunt illa verba, longè faciet hominem, quo illud ejusdem Vatis capite vigésimo sexto, versu decimo sexto, Elongasti omnes terminos terræ, id est, propagasti, amplificasti, ut viri explicant docti. Atque hunc sensum mirificè promovet quod sequitur, Et multiplicabitur quæ derelicta fuerat.

1289 Verbum, multiplicabitur, Hebræicè rabas, Vulgatus & LXX. aliàs reddunt, magnificare, nobilitare, honore & auctoritate augere. Pagninus, & Arias Montanus ex Hebræo, Deo tribuunt auctori: & multiplicabit derelictam in medio terræ: magnificabit, nobilitabit, honoribus, & auctoritate augebit. Sensus manifestè constabit ex observatione illius epitheti, derelicta, quod est Isaia familiare ad sterilem, & infœcundam designandam. Isaia capite sexagesimo, versu decimo quinto, Pro eo, quod fuisti derelicta, & odio habita, &

Derelicta pro sterili & infœcunda.

Isa. 60. 15. non eras qui per te transfret, ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem, & generationem. Et capite sexagesimo secundo, numero quarto. Non vocaberis ultra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata; sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata. Derelictam vocat sterilem, desertam, cui opponit inhabitatam, Hebræicè, maritatam; sic enim Vulgatus reddit Isaia quinquesimo quarto, versu primo. Igitur derelicta, in hoc, quem versum, loco, multiplicabit, magna prole provehet Dominus. Sed & hanc emphatico item articulo notat, illam derelictam. Hebræicè Hagazubah; sicut ejus virum emphasi etiam inlignierat, illum hominem propagabit Dominus, illam derelictam, & sterilem multiplicabit. Illustrem aliquam Matronam, nobilem aliquem virum his nominibus, emphaticisque pronominibus agnoscendos reor; ut ab utroque tota Evangelicæ familiæ nobis mysticè deducta fuisse intelligatur: nam in numerosam Evangelicæ Ecclesiæ prolem vaticinium totum inclinat, quæ in abjectæ locum Synagogæ subrogetur. An igitur insignis ille vir, an nobilissima illa Matrona, Joachimus, & Anna erant beatissimæ Virginis Parentes, Christi Domini Avi, totius Christiani orbis atavi gloriosissimi? Quidni isti? Quivè alii? Contrahant scilicet Hebræi, Hebraizantique simul caperant frontem: at probabunt Christiani quique Evangelicæ interpretes Evangelicam maximè explicationem. Hi si suffragio faverint, illos refragantes haud curem.

צווח

Joachimus & Anna promittuntur, & commendantur ab Isaia.

Synagoga olim sterilis fecundata in Anna Ecclesiæ præsertim.

צטרת עמר

אלת

rem (ut notat Cerda noster ad caput secundum Georgicor. versu 290.) Robur, illicem, pro Castanea; atque hanc in hoc loco intellexit Jonathas Chaldæus, quem quercum omnium reginam Arabes etiam nuncupant. Chaldæo suffragantur Pagninus, Mercerus, & alii. Igitur, ut sententiam Vatis explicem, hanc singularem rerum mutationem in Palæstina observandam, atque pro ostento habendam prædicat; ut quemadmodum terebinthus, & regia quercus Castanea, quæ diu exfucæ, steriles, & infructuosæ fuissent, cum repente repullularint, germinarint, resoruerint, pristinamque comam, ac pulchritudinem recuperaverint, digito solent à viatoribus, aut ab agricolis demonstrari, qui ejusmodi arborum jam vitam, fructusque desperaverant; ita nobilem illum hominem, atque derelictam illam matronam ob diurnam sterilitatem, veluti depulatos antea, cum in tam illustrem fecerunt repente sese induissent, non minùs insignes fore, quam si terebinthus, ac castanea, quæ post longam siccitatem, atque sterilitatem, pristinum vigorem recepissent.

Terebinthum pro loachimo, castanea pro Anna.

1292 Igitur terebinthi, & castaneæ nominibus ex pristina siccitate, & sterilitate germinantes, Joachimum, & Annam intellexit Vates: Sicut terebinthus, & sicut castanea, quæ extendit ramos suos. Terebinthi ramos, honoris & gratiæ, vocat noster Siracides cap. 24. 22. dum sapientiam seipsam laudantem inducit. Item ramos castaneæ, Germen justitiæ, & plantationem Domini ad glorificandum, vocat Isaia 61. 3. Et vocabuntur in ea fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum, & edificabunt deserta à secido, & ruinas antiquas erigent. Eandem vocem elim, quam ibi vertit vulgatus, fortes justitiæ, & LXX. generationes justitiæ, reddit idem vulgatus Isaia 1. 29. Quercus, elim, quæ eandem habent radicem cum alon in hoc loco: ac proinde, juxta Chaldæum vertas, castanea. Apta ergo Symbola sint terebinthus, & castanea, quarum alterâ reliquius honor, & gratia, alterâ gloriosa sanctitas & justitia significetur. Non incommodè Joachimus terebintho, non ineptè Anna castaneæ comparata est. Illius rami honoris & gratiæ haud dubiè exitère, hujus coma castaneæ justitiæ, & sanctitatis, & plantatio Domini ad glorificandum; meritò dicatur. Scio his multa addi posse, sed ea mihi reservo.

1293 Hoc tantum observo; ex terebintho manantem liquorem nobilissimum, inter omnia resinarum genera, atque efficacissimum medicamentum, semper antiquis habitum. Lege Plinium libro decimo quarto, capite vigésimo, & libro decimo tertio, capite sexto; Theophrastum libro tertio, capite decimo quinto, & libro decimo tertio, capite sexto, & libro quarto, capite quinto; Galenum libro octavo simplicium, Ballesterum nostrum libro tertio, Hierologiæ capite octavo; Rovillum libro primo Histor. Plantarum, capite decimo septimo. Qui omnes terebinthi lachrymam omnium præstantissimam, atque ordonatissimam commendant, Eam Genesis quadragésimo tertio, v. undecimo, inter alia donaria Josepho in Ægyptum à Jacobo missam legitur. Item capite trigésimo septimo, versu vigésimo quinto mercatus gratiâ ex Galaad convectam. Hanc quippe laudatissimam discu-

E e 4 tiendi